

potuissent, die laxissima oppidanis ipsis vendidit. quibus etiam, quo minore damno amissis rebus suis afficerentur, annos decem omnium munerum & tributorum levationem concessit. Eo oppido capto, nonnulla ejus regionis municipia se Antonio dediderunt. atque hæc quidem adhuc ipsa Ferdinando Neapolim recipienti nota non erant. Antonius Nicolao Cornelio, qui Monopolitanis præcesset, relieto, missoque Puliniandum, quod oppidum abest a littore, eique se dederat, Alexandro Pisauro eodem nomine, Sipontum est profectus, quod jam per se se, ob Gallorum insolentiam atque libidinem, in Ferdinandi partes oppidum redierat ejectis Gallis, qui se in arcem contulerunt. Ad quos cum Antonius mississet, uti arcem Ferdinando restituerent: id ni facerent, eos se hostium loco habiturum: responderunt, nihil sibi cum Ferdinando rei esse: ipse si velit eos recipere, ejus se fidei libenter permisuros. itaque acceptis in fidem Gallis Antonius, Federico, qui jam ad se Ferdinandi missu venerat, arcem reddendam curavit. Eodem tempore qui Tranensium arcem tenebant, missis ad illum interpretibus, velle se ejus imperata facere, Antonio significaverunt. ille, ut Ferdinando se se dererent, hortatus, eos non tam lubentes, quam auctoritate sua compulsos, tanquam de manu Federico tradidit, eidemque Græcorum equitum dimidiā partem, quorum jam erat numerus ad quadringentos quinquaginta, petenti dedit.

Patres cum intellexissent Ferdinandum Neapolim recuperavisse, decreverunt, ne quid Antonius oppidorum, ne ve omnino locorum amplius reipublicæ nomine in regno Neapolitano caperet. tum Petri Bembi uxori liberalisque, victus annuus a Senatu dono datus: duabus quoque filiis dotis nomine libræ auri quadraginta: duabus alteris in sacrarum virginum collegia jam destinatis, quod ad id satis esset, constitutum. Antonio autem Tinti fratri, ab adolescente me in amici hominis afflictis rebus causa bis apud Patres perorata, proventus est annuus Senatus decreto & liberalitate attributus: quo se nunc quoque,

*Senatus in
cives bene
de patria
meritos li-
beralitas.*